quid est ergo quod dominus de paupere et diuite uerbum faciens. nomen pau
peris dicit. et nomen diuitis non dicit. nisi quod deus humiles nouit
atque adprobat et superbos ignorat. Unde et de quibusdam demna
turus in fine dicturus est. nescio uos unde
sitis. Discedite a me omnes operarii iniquitatis. Et contra moysi di
citur. nouit te ex nomine. Ait ergo de diuite. homo quidam. ait
de paupere. egenus nomine lazarus. Ac si aperte dicat. pauperem
humilem scio. superbum diuitem nescio. illum cognitum per adproba
tionem habeo. hunc per iudicium reprobationis ignoro. pensandum nobis
est etiam conditor noster omnia quanta consideratione dispensat. una
et enim res non pro una agitur. Ecce plenus ulceribus mendicus
lazarus ante ianuam diuitis iacebat. qua de re una dominus duo iudicia
expleuit. habuisset enim fortasse aliquam excusationem diues. Si
lazarus pauper et ulcerosus ante eius ianuam non iacuisset. si remo
tus fuisset. si eius inopia non esset oculis importuna. Rursum si
longe esset diues ab oculis ulcerosi pauperis. minorem tolerasset
in animo temptationem pauper. Sed dum egenum et uulneratum an
te ianuam diuitis et deliciis affluentis posuit. in una eademque re
et ex uisione pauperis non miserentis diuitis cumulum damnationis in
tulit. et rursus ex uisione diuitis temptatum cotidie pauperem pro
bauit. quantas namque hunc egenum et uulneribus obsessum tempta
tiones credimus in sua cogitatione tolerasse. cum ipse egeret pane.
et non haberet etiam salutem. atque ante se diuitem cerneret salu
tem et delicias habere cum uoluptate. se dolore et frigore affici.
illum gaudere conspiceret bysso et purpura uestiri. se deprimi uul
neribus. illum diffluere acceptis rebus. se egere. illum nolle largiri.
quantus putamus fratres karissimi tunc in corde pauperis tumultus temp
tationis fuit. cui certe poterat ad poenam sufficere paupertas.
etiam si sanus fuisset. rursum sufficeret aegritudo. etiam si sub

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc271/0190